

viribus. Et credendum est, ferrum longe majori tractio-
nis, ut ita dicam, vi præditum esse, quando nondum perfe-
ctum & purificatum est; Tunc enim pori adhuc constan-
tiores sunt transmittendi materiam striatam, quam qui-
dem ubi Ignis vehementiam subire necessum habuit, qua
fit, ut maxima in ejus intrinsecam substantiam introduca-
tur mutatio. Talem autem structuram in ferro reperiri
probant, primo, quod aliis metallis durius sit, difficiliusque
fundatur. Secundo, Proclive sit ad assumptionem rubiginis.
Et tertio, chalybs ex illo confici possit, quæ omnia satis pro-
bant multos & patulos in eo reperiri poros, qui admota
violenta manu aliam induant figuram, & consequenter
aliud corpus constituent. Corpora enim terrena cuncta
in materia conveniunt, discrepant vero in eo, quod in hoc
corpore sic, in alio vero aliter efformatæ sint particulae, ali-
umque respectum inter se servant, ita ut formis acciden-
talibus contenti necesse non habeamus ad formas sub-
stantiales turpiter confugere. Argumento etiam esse
potest, quod ex magnete ferrum ope ignis confici possit, li-
cet quandoq; tam firmiter partes invicem connexæ sint, ut
maxima vi separari nequeant. Præprimis verò ferrum ad
Magnetem pellitur, quoniam in hoc pori sunt constantio-
res, ita, ut haud exiguo labore malleis inflecti possit, sed
potius in ramenta aliqua dissiliat, quos proinde materia
striata majori torréte trajicere, sicq; validiorē motū ferro,
veletiam magneti opposito conciliare potis est. In for-
mam autem trochlearum efformati sunt pori, ita ut ra-
menta tali ordine ad latera sint disposita, ut tantum absit,
ut in parte meridionali materiae ab austro venienti in suo
motu obsint, ut potius maxime ejus motum intendant. In
utraque enim parte peculiare striæ sunt, ita, ut borealis
materia strias australis ingredi nequeat, neque hæc illas,
quod